



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Pastorvm Concionatorvmqve Instrvctiones**

**Borromeo, Carlo**

**Coloniae, 1587**

**VD16 B 6753**

De præparatione, qua concionator vtetur ad singulas conciones.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51263](#)

recte assequatur; id valde curabit, ut singulis diebus matutinas, & ceteras canonicarum horarum preces officiumque ritè, distin-  
ctè, pieque ex instituto, atque ex præscrip-  
to regulæ, quam profitetur, si regularis est  
aut si secularis clericus, choro astrictus ex  
illis disciplina, cum potest, in Ecclesia, a-  
que in ipso choro vñà cum ceteris præsteret.

Recitato officio, aliquid temporis in di-  
uinorum rerum contemplatione, pioque  
tacitæ meditationis studio ponet. Ita enim  
fiet, ut diuini amoris ardore inflamatus,  
qui orando, meditandoque maximè exar-  
descit, auditores suos, ad charitatis, quæ se-  
minarium est omnium virtutum, studium  
incendat ardentius.

Missæ sacrificium quotidie offerre non  
prætermittet, nisi legitima causa impedia-  
tur. Hoc sanctissimi sacrificij offerendi  
vñ frequenti cum sibi in omnes sanctè a-  
gendi partes plurimum proderit; tum fi-  
deles etiam excitabit, ut sacrificij sanctissimi  
sint cultores, & diligentiores, & reli-  
gioseiores.

*De præparatione, qua concionator vte-  
tur ad singulas conciones.*

**P**RIMVM, cum prædicandi munus  
non humanæ scientiæ, aut eloquen-  
tiæ, sed diuinæ virtuti, ac spiritus sancti gra-  
tia

## INSTRUCTIONES.

91

tiæ inniti, concionator intelligat; diligenter tissimè sibi cauēdum existimabit, ne mortali culpa affectus, Spiritum sanctum contristet, & apostolicum opus, atque adeo D.

N. Iesu Christi munus attingat. Sed conscientiam antè ab omni peccatorum im-  
puritate poenitentiæ sacramento expurga-  
bit, quām ad verbi Dei tractationem acce-  
dat. Et vero grauissimam illam Prophetæ  
obiurgationem vehementer pertimescē-  
dam ducat: Peccatori, dixit Deus, quare tu  
enarras iusticias meas, & assumis testamen-  
tum meum per ostuum?

Deinde cūm concionis, quam proximè **Præmissa**  
habiturus est, causa, se studio dabit, sanctū oratione  
Thomam Aquinatem, & alios, sanctitatis studium  
laude claros viros, ad imitationem si-  
bi proponet, qui religiosa aliqua preca-  
tione vñi sunt, prius quām studijs se de-  
derent.

Post breui oratione ad Deū vñus, id om-  
nino studebit, vt, quod in concione di-  
citur, antea bene cognitū habeat: vbi ve-  
rò ex studio librorumq; tractatione cog-  
nouerit, ac perceperit, quod cōcionaturus  
est, tum singulas cōcionis partes, quas ani-  
mo concepit, etiam atque etiam diligenter  
pieque meditabitur. Quia in meditatione  
ita religiose sese afficere conabitur, vt  
audientium animos mentesque ad illum  
ipsum

sing.  
onicarū  
distin-  
escrip-  
laris est  
ctus ex  
esfa, n-  
ræste.  
s in di-  
bioque  
a enim  
natus,  
ē exar-  
quæ se-  
uidum  
re non  
pedias-  
erendi  
ntè a-  
um fi-  
ancil-  
& reli-  
  
iunus  
quen-  
stiga-  
tie

ipsum pietatis affectum sancteque agendi ardorem, quantum in se est, excitet.

Ad se ardenti pietate inflammandum, dum etiam in concionis studio, tractatio neque versatur, Christi Domini, crucifixi, vel Apostoli Pauli prædicantis, ut sanctus Chrysostomus fecisse traditur, imaginem sibi ob oculos ponet: quam tacita meditatione intueatur.

Maximè verò nocte, quæ cōcionis diem præcedit, eam præparationem adhibebit, ut ardenter Deum oret, omnis sapientia, omniumque sanctorum virtutum auctorēm, qui & sibi, & alijs, qui audituri sunt, largiatur, vnde diuinus cultus, & salus amarum adiuuetur. Nec porrò nostraetate defuerunt, qui non solū profusis lachrymis, sed cæso etiam verberibus corpore, à Deo petere consueuerunt.

Conciona-  
tor quali  
cognitione  
suggestum  
ascendere  
debeat.

Id etiam institutum habebit, ut, ante quā suggestum ascendit, perpetuò sibi proponat concionem eiusmodi, quæ scilicet vel multitudo sit hominum esurientium, cibumque à prædicatione sua expectantium, vel cœtus claudorum, paralyticorum, hydropsi laborantium, mutorum, cœcorum surdorum, malo dæmone æstuantium, leprosorum, valetudinis beneficium querentium. Huc cùm spectare debeat, ita in omni concionandi parte se comparet, ut eorum

corum rationibus, salutique prospiciat, & consulendo, & consolando, & omni officio, præstantique remedio.

Consideret præterea se pescatorem hominum esse: ideo neruos omnes intenderet, atque adeo expiscari, ut sagenam euangelicam implete, nempe animas percutientium, Christo Domino lucrifaciat, quare videat, ne in prædicationis officio languescat.

Sed vt sanctas commotiones in alijs existent, tales primùm animo suo ipse concipiet, atque in se exsuscitabit, ita vt quales in aliorum mentes transfundi cupit, ipse illas, animi sui sensibus rectè conceptas; quasi spectandas cæteris proponat.

Id asseqni studebit primùm ardēti præ-  
eatione, deinde rei, de qua dicturus est, ex-  
plorata cognitione, tum vehementi cogi- Affectus in  
se & audi-  
torib. quo-  
modo con-  
cionator  
excitare de-  
beat.  
tatione, & quasi ob oculos posita specie ip-  
sius rei, quam meditatione cōcepit, ac præ-  
terea attenta lectione loci sacræ scripturæ,  
quicum re conueniat, quam animo exco-  
gitatam habet.

Et quoniam ad commouendos animos parum valet concio, alieno labore cōscripta: nunquam ad affectionum excogitationem, alienę concionis industria vtetur: sed ingenio suo concipiet, ac gignet, quò vehe-  
mentius primùm se, deinde alios afficiat.

Disci-

Disciplinæ enim cibus, qui populo proposuitur, mente propria, quasi stomacho concoctus, vires maiores habet ad omnem sanitatem commotionem.

Ne igitur concionator se totum in alienas conciones temere ingurgitet: satius est eas ex sanctissimorum Ecclesiæ Doctorum Gregorij Magni, Ambrosij, Augustini, Chrysostomi, aliorumque Patrum homilijs, sermonibus, & tractationibus confidat & quasi conflare.

Eam quoque præparationem in omni concione, recte explicanda, adhibebit, ut quem deuotionis ardorem ex religiosi diuinarum precum recitatione, sacra celebratione, & pia meditatione, Deo iuuante, conceperit, eundem studiose curet secundum suggestum deferre.

*De concionatoris officio in suggestu.*

**A**TQVE hæc quidem sunt, ad quæ concionator se paret, antequā suggestū ad concionandum ascendat: quem ubi ascendit, illud in primis breui tacita oratione rursus à Deo precabitur, ut sincerum, castumque sit prædicationis suæ studium, ut nemini noxiū, ut & sibi, & omnibus in commune salutare. Hocque etiam summa prece tacitus contedet, ut si fortasse in concionando se vel gloria inani, vel alio vitio

at-